בשם השם

DISPUTATIO PHYSICO-PHILOLOGICA DE CETIS

Qvam
ANNUENTE BENIGNISSIMO NUMINE
SUFFRAGANTE AMPLISS. FACULT. PHILOSOPHICA
in Academia Lipſienſi
vice
poſterioris
PRO LOCO
in eadem aliqvando obtinendo
H. L. Q. C.
D. XX. MART. ANNO M DC LXXX.
publico eruditorum examini
ſubmittit

M. POLYCARPUS LYSERUS,
HALA SAXO.

LIPSIÆ,
LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.

48.

58700 (II)

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

עמיעשר

Ἄνευ προοιμίου.

Caput I.

Cetorum ὀνοματολογίαν explanans.

§. 1.

VOcabulum ante omnia ut evolvatur, neceſſe erit, & qvæ circa illud notanda, brevibus præmittantur.

§. 2. Ab ἐτυμολογία ordior. Cetus eſt vox latinitate donata, origine Græca: (a) diciturqve promiſcuè cetus, cetum, cete. (b)

(a) Eſt enim ex κῆτος, qvod viciſſim à κεῖμαι derivant. (b) Conſule Lexicographos, qvi pariter derivata cetaria, cetarii &c. obſervarunt.

§. 3. Succedit Synonymia, qvæ pro lingvarum varietate & ipſa variat. Latinis freqvens eſt balæna, qvæ vox pariter ortum debet Græcæ φάλαινα. (c) Non tamen balænæ vox ſemper eſt Synonymon ceti, ſed tantùm impropriè & latè (d) accepta.

(c) Aſpirata nimirum in mediam converſa, uti ex ἀλφὸς albus, ex ὀμφαλικὸς fit umbilicus. Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 4. & 21. Vox autem φάλαινα unde derivetur, non conſentiunt. Mihi probatur ex omnibus ſententia eorum, qvi ex Hebræo vel Chaldæo potius בלע deglutivit, deductum volunt. (d) Propriè enim & ſtrictè notat ſpeciem ceti maximam.

§. 4. Præterea Græcis non infreqvens eſt vox ἀσπιδοχελώνη, qvæ tamen notante Euſtathio (e) & Bocharto (f) certam ceti ſpeciem ingentis præ reliqvis vaſtitatis notat. Reliqva Synonyma tum Græca tum latina præterea.

(e) Hexaëm. p. 19. (f) Hieroz. T. 1. p. 935.

§. 5. Miſſis etiam iis, qvæ apud Arabes occurrunt, (g) Ebraica potiſſimum curatius paulo nunc veſtigare juvabit. Primo loco ſe oggerit תנין (h) cujus uſus uti in Scripturis freqvens, ita

acceptio ejus non ubivis eſt eadem. Ut taceam metaphoricas, (i) propriè modò qvemvis ſerpentem, (k) modò draconem terreſtrem, modò deniq; draconem marinum, ſeu qvod idem eſt hoc loco, (l) cetum ſignificat. Hinc R. D. Kimchi (m) ita: התנינים הנזכרים ביבשה הן מין ממיני הנחשים והנזכרים במים ממיני הדגים הגדולים כדמות הנחשים h. e. Thanninim illi, qvi memorantur (degere) in continenti, ſunt ſpecies ſerpentum, qvi autem dicuntur (vivere) in aqvis, ſunt ſpecies piſcium magnorum ad ſimilitudinem ſerpentum. Idem ſignificat תנים (n) ſingulare ם loco ן adhibito. (o) An verò תנין propter formæ ſimilitudinem, an propter molis paritatem & draconem & cetum ſimul notet, diſceptent alii, qvibus bella grammatica magis probantur. Sufficit mihi hac vice, תנין ſignificare cetum, (p) idqve tum in ſingulari tum plurali, qvi eſt תנינים qvem ter (q) mutilatum obſervant Maſorethæ, rationibus tamen hujus defectus additis ſat ridiculis. (r) Cum תנין convenit תן obſoletum & pluralis ejus magis uſitatus תנים, (s) qvod alii (t) potius contractum eſſe volunt ex תנינים, excidente nimirum ſigno duplicationis.

(g) De qvibus vide Boch. Hieroz. T. 1. de cetis p. 48. ſqq. (h) ſtatim occurrens Gen. I. 21. (i) qva tyrannum notat & uſurpatur de Pharaone Ezek. XXIX, 3. qvem Deus ibi vocat cetum magnum conf. Jeſ. XXVII. & lege Franz. Hiſt. An. P. III. c. 2. (k) Boch. Hieroz. T. II. p. 437. Franz. l. c. (l) NB. h. l. nam datur alias marinus piſcis venenatus nomine draco, de qvo Card. de Rer. Var. l. VII. c. 37. p. 395. (m) in lib. שורשים in rad. תנן (n) Ezek. XXIX. 3. XXXII. 2. In qvibus qvidem locis potius maltham ſive Zygænam, qvàm balænā denotari contendit Boch. T. I. c. de cetis. Sed absqve neceſſitate. (o) Freqvens hoc eſt Hebræis. Sic promiſcuè dicunt מוף & נוף / כמהם & כמהן notante Kimchio l. c. & Comment. in Ezek. XXIX. (p) Gen. I. 21. Pſ. CIV. 25. ſq. Job. XXVI. 13. VII. 13. Pſal. LXXIV. 13. 14. Pſal. CXLIIX. 7. ſq. (q) Gen. I. 21. Exod. VII. 12. Devt. XXXII. 33. (r) Vid. מעשי השם f. m. 18. col. 3. c. 9. (s) Jer. XIV. 6. Ezek. XXXII. 2. (t) רד"ק in שורש' rad. תנן

§. 6. Huc pertinet etiam vox לויתן. De cujus etymo non eqvidem controvertam. Sive enim qvis lingvæ Hebraicæ (u) ſive Arabicæ (vv) originem debere ſuam aſſerat, me non habebit contradicentem, modò mihi conſtet de ſignificatione. Bochartus (x) qvidem prolixè locum Jobi (y) non de ceto, ſed de crocodilo expo-

ponendum diſceptat. Aliter Druſius, (z) aliter Franzius, (a) aliter alii. Ego ſubſcribo cum Mercero (b) & Kirchmaiero (c) expoſitioni Kimchii, (d) qvi in qvatuor locis (e) cetum voce לויתן notari dicit, inqviens: כלם הם שם התנין הגדול אשר בים Omnia illa (ſcil. loca) ſignificant cetum magnum marinum. An verò in alio Jobi (f) loco idem notet, admodum controvertunt. (g) Mihi tamen ſanior omninò videtur eſſe ſententia Kimchii, (h) R. Saadiæ, (i) Merceri, (k) & aliorum.

(u) Ut nimirum deducatur ex לוה addidit, qvo ipſo vaſtitas non obſcurè innui videtur. An verò præter illud à תן ſerpens derivetur, an rectius תן hæmanthicas, ut in רעתן & זיותן eſſe aſſeratur, Grammatici diſceptent. (vv) qvod Bochartus contendit à flectendo vel contorqvendo ex Arabica lingva deducens Hieroz. T. II. l. V. c. 16. (x) Hieroz. T. II. p. 769. ſqq. (y) c. XL. v. 20. ſqq. (z) Comment. in Job. XL. (a) Hiſt. An. p. III. c. 2. (b) Comment. in Job. XL. 20. ubi diſertè Leviathan per balænam exponit. (c) Diſp. de Leviathan. (d) lib. Rad. in rad. לוה (e) Job. XL. 20. Pſal. LXXIV. 13. CIV. 26. Jeſ. XXVII. 1. (f) Job. III. 8. (g) R. Moſe ben Nachman Satanam hic vult intelligi, cui multi, fabulis aliàs aſſveti, gentis ſuæ ſuffragantur, nec pauci ex Interpretibus aliis. (h) lib. Rad. in rad. לוה ubi exponit per אבלם luctum eorum & pro confirmanda ſententia ſua etiam Talmud Hieroſolymitanum allegat. (i) citatus à Kimchio l. c. (k) Comment. in l. Jobi.

§. 7. Cetis etiam venit accenſendus ille דג גדול (l) Licet enim Bochartus (m) cum Rondeletio (n) prolixè contrarium defendere laboret, & potius cetaceum, ſpeciatim lamiam aut canem carchariam intellectum velit, non tamen ipſis, licet multos habeant aſſeclas, (o) ſuffragari poſſum. Provocat Bochartus inter alia ad auctoritatem Scaligeri, (p) negantis, de balæna intelligi poſſe ob oris meatum anguſtiorem. Sed auctoritatibus opponere licebit alias, Auguſtini, (q) Dionyſii, (r) imò ipſiusmet Scaligeri (s) & aliorum non paucorum. (t) Qvibus omnibus auctoritatem Chriſti antefero, per κῆτος (u) expreſsè exponentis: cur autem à litera hîc ſit recedendum, non apparet, præſertim cum omnia cetorum genera nobis nondum ſatis ſint explorata, uti loqvitur Ol. Wormius.

(l) Jon. II. 1. (m) Hieroz. T. I. l. I. c. 7. de cetis. (n) de piſc. mar. l. XIII. c. 12. (o) Card. de rer. Var. l. VII. c. 37. p. 401. Druſ. & Cocc. Comment.

ment.

ment. in Jonam, Geſn. l. IV. de aqvat. in Canis Carcharias. Aldrovand. de cetis, Borell. Obſerv. Med, Phyſ. Cent. IV. obſ. XLIIX. p. 313. ſq. Severin. de reſp. piſc. p. 16. b. (p) ſolum nomen citat Bochartus T. II. l. V. c. 12. p. 743. (q) Epiſt. 49. q. 6. contra paganos, ubi pro confirmanda loci illius Jonæ expoſitione inqvit: in Africa viſam eſſe belluam talem, cujus os fuerit velut ſpeluncæ. (r) Deſcr. Orb. v. 602. (s) in Ariſt. hiſt. An. l. II. c. XVI. Sect. 118. p. 231. ubi balænā aliqvam deſcribens inter alia ita loqvitur: rictus viginti pedes patebat; hiatus lembum integrum excipiebat. (t) Neuhof. Sin. Reiſeb. p. 354. A. Varen. Dec. Moſ. in Gen. I. 21. & Comment. in Jon. Franz. Hiſt. An. P. III. c. 1. & 2. Patrum item & Commentator. antiqv. (u) Matth. XII. 40. (vv) Muſei ſui c. 13. p. 279.

§. 8. Adde ex ſententia Bocharti (vv) illud בהמות Jobi (x) qvippe qvod ipſi non ut aliis Interpretibus (y) elephantum, ſed hippopotamum, qvem ceti ſpeciem dicit, denotat.

(vv) Hieroz. T. I. l. I. c. VII. de cetis. p. 49. & T. II. l. V. c. XV. p. 753. (x) c. XL. 15. ſqq. (y) Druſ. Merc. Coccej. Comment. in h. l. Kirchmaier. de Leviathan.

§. 9. Chaldæorum & Syrorum Synonyma partim cum Hebræis convenientia, (z) partim ab iis diverſa, (a) tranſeo, nec minus Germanorum, Danorum & Anglorum vocabuli Walfiſch (b) ſignificationem nunc inqvirere ſuperſedeo.

(z) תנין utrisqve convenit, ſaltim terminatione ad ſuas lingvas accommodata. (a) Ita Chaldæi etiam vocant אורזילא qvippe qvam vocem ipſe Chaldæus Paraphraſtes adhibet Gen. I. 21 (b) Vid. Geſn. lib. IV. de aqvatil. tit. de cetaceis in gen. p. 195.

§. 10. Reſtat homonymia. Ut taceam acceptionem illam, qva ſidus cœleſte (c) notat, obſervetur, ceti vocabulum interdum adeò arctari, ut per excellentiam ſolam cetorum maximam ſignificet. (d) Bochartus (e) duplicem ejus in ſenſu laxiori notat ſignificationem. Vel enim, inqvit, notat cetos propriè dictos, qvales ſunt balæna &c. vel ſimul impropriè dictos complectitur, h. e. omnes piſces marinos majores, verbo: cetos & cetaceos, qvorum tamen numerum aliter Bochartus, (f) aliter Scaliger, (g) aliter Plinius, (h) aliter Galenus, (i) aliter alii (k) conſtituunt. Ex omnibus thynnum præprimis non pauci (l) cetaceis accenſent. Sed nimis extendit hoc vocabulum Kozak (m) ex ipſis qvidem Scripturis, ſed non ſine abſurditate & argumentis ſat ficulneis extorqvere

qvere

qvere laborans. Ipſos enim carpiones & alios piſciculos minutos ex ſemine cetorum generari aſſerit, nec tamen epitheto cetorum גדולים ſe contradixiſſe, ſed potius verum ejus ſenſum ſe indagaſſe, exiſtimat.

(c) Geſn. de aqvatil. p. 201. (d) Geſn. l. IV. de aqv. p. 117. & 198. tit. balæna & cetus, Aldrovand. l. I. de cetis c. I. (e) T. I. Hieroz. l. I. c. VII. de cetis & cetaceis p. 45. ſqq. Bellon. de aqvatil. l. I. c. 2. (f) l. c. p. 51. ſq. (g) in Ariſt. Hiſt. An. l. II. c. 16. ſect. 118. (h) qvi l. VI. c. 7. IX. c. 15. etiam ἀνταχκία ſ. ἀνταχαῖον, dictum ab Antacibus populo circa Mæotin Colchis vicino ſolius vaſtitatis ergo, ut & attilum, cetaceis annumerat. (i) c. III. de Alim. facult. c. 21. omnes vaſtæ molis piſces ſub cetis comprehendens, conf. c. 37. De maltha autem, qvod Bochartus Galeno tribuit, eam ab ipſo cetaceis accenſeri, non credo, nec veſtigium hujus rei in eo reperio. (k) Ol. Worm. Muſei ſui p. 279. ſqq. Carol. Cluſ. Exotic. l. VI. (l) Archoſtratus ap. Athen. l. VII. Soſtratus in libr. περὶ ζώων, Varro, qvi teſte Nonno thynnorum piſcatores vocat cetarios, Ælianus Hiſt. An. l. XIII. c. 16. ubi piſcationis thynnorum meminit, cujus etiam fit mentio l. IIX. D. tit. IV. Videntur tamen cum Galeno l. XIII. de alim. facult. c. 37. uti conjicit Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 9. grandiores thynnos honoris qvaſi cauſſa cetis annumeraſſe, qvod juniores & præſertim abdomina eorum olim commendabantur maximè, teſtibus Eubul. Ariſtoph. Eriph. ap. Athen. l. VII. Lucil. Sat. I. & Agell. l. X. c. 20. (m) ſcripſit D. Joh. Sophronius Kozak Bohemus Philoſophus & Medicus libellum, cui titulus Mica I. Philoſophia ſacræ illuſtraturus opera diei Vtæ Gen. I. & inter alia fœcunditatem cetorum præ aliis aqvatilibus omnibus ex loco illo præſertim ex voce גדולים probare admodum nititur. Sed qvia omnia illa, qvæ profert, non ſunt adeò magni momenti, ut nullo negotio à qvovis refutari poſſint, prolixo eorundem examini ſuperſedebimus. Poterit interea legi citatus tractatus p. præſertim 21. ſqq.

Cap. II.

Deſcriptionem ceti exhibens & declarans.

§. 1.

Satis de nomine. Rem ipſam aggredior. Et qvò debito procedam ordine, deſcriptionem ceti propriè dicti præmitto, qvam ex multis aliis, variis aliàs, talem proponere hac vice placet: Cetus eſt piſcis pelagicus viviparus reſpirans ſangvineus & oſſeus,

Li-

Licet enim arcta nimis hæc videatur eſſe deſcriptio, contentus tamen eousqve ero, dum perfectior mihi ſuppeditetur, & qvæ cetorum naturam exhauriat melius.

§. 2. Ut verò qvantum in hac deſcriptione lateat, clarius pateſcat, brevibus adhuc erit luſtranda. Dico itaqve, qvòd cetus ſit 1. piſcis. Piſcis qvid ſit, variant iterum Phyſici. Mihi probatur hac vice Cardanus (a) deſcribens, qvod ſit animal omne in aqvæ elemento commodius vivens qvàm alibi. Minimùm adeò eſt generalis hæc deſcriptio, ut absqve ulla contradictione cetis etiam aptari qveat. Sunt enim ceti animalia, ſunt corpora animata ſenſitiva. Non deſunt qvidem, qvi omni piſcium, non dicam animantium generi ſenſus denegant, manifeſtò tamen experientia iis contradicit, & ſenſoria ipſis conceſſa indubitatò contrarium evincunt. De cetis id ipſum probaſſe nunc ſufficiat, qvibus qvi ſenſus, præſertim externos, competere negant, contra ſolem diſputare mihi videntur. Viſum certè habent omnes. Cui bono enim oculi? qvi licet hebetiores plerumqve & obeſiores (b) ob nimiam pingvedinem & adipem ſint, non tamen eapropter prorſus negandi. Nec palpebrarum abſentia oculorum qvoqve defectum probabit, cùm præſertim alia ratione (c) illæ reperiantur compenſatæ, nec absqve cauſſa iis ceti deſtituantur. (d) Nec minus auditum habent ceti. De delphinis certè teſtatur hoc (e) ספר שערי השמים inqviens: הדגים יש להם חוש השמע והמופת צידת דולפנים כי כשיצודון אותם הדייגים יכו על המים מקלות ועושין רעש גדול במים ובקול הרעש ההוא יתבהלו וישתממו ונראו כמתעלפים: Piſces habent ſenſum auditus, cujus documentum eſt venatio delphinorum. Qvando enim piſcatores eos venantur, percutiunt aqvas baculis, & ſtrepitum ingentem excitant in aqvis, cujus ſtrepitus ſono perterrentur & obſtupeſcunt, ut qvaſi viribus defecti appareant. Confirmat hoc Ariſtoteles (f) & Plinius, (g) qvi non ſaltim audire eos, ſed & harmonia capi, qvin Simonis nomine delectari, cum aliis Scriptoribus, (h) ſed fabuloſè, affirmat. Organon verò auditus, ſive meatus externus ἀκουστικὸς non eſt adeò manifeſtus, unde Ariſtoteles (i) & Plinius (k) eum perforari negant, ſed merito ſuo hoc nomine prior carpitur à Rondeletio, (l) qvippe qvi non tantùm in delphino ſed & in vitulo marino pilis abraſis meatus ἀκουστικοὺς ſibi reper-

pertos ſcribit, exiles licet & in phoca præſertim adeò minutos,ut vix acus penetrare poſſet. Qvanto magis igitur organa illa in balænis aliisqve ceti ſpeciebus majoribus deprehendi probabile eſt? Nec odoratus iis denegari poteſt. Probat hoc partim auctoritas Ariſtotelis,(m) partim piſcatorum experientia,(n) licet odoratus foramen minimè invenias. (o) Guſtum etiam cetis convenire certum eſt, cum ex omnibus aliis cibis haleces (p) avidiſſimè ab iis appeti conſtet. Nec tactum iis denegabit, niſi qvis planè ex animatorum cenſu excludere intendat. Qvid? qvòd iis piſcibus, qvibus aliàs ſenſus ceteri negantur, tactus tamen tribui ſoleat. (q) Verbo: qvicqvid ſit de organis, experientia certe, qvæ in Phyſicis utramqve paginam abſolvit, rem ipſam comprobat. Probandum nunc ulterius, cetos in aqvæ elemento vivere commodius qvam alibi, ſeu qvod eodẽ recidit,animalia aqvatilia eſſe,non terreſtria. Licet enim Scriptores(r)non pauci cetos cum Ariſtotele,ut qvidam volunt,à piſcibus diſtingvant, & negari etiam non poſſit, cetos habere multum naturæ terreſtris,(s) & cum Cardano (t) piſcibus illis, qvi magis ad terreſtrium naturam accedunt,venire accenſendos,aſſertum tamen meum nihilominùs manet immotum, & minimum potiores & plures cetorum ſpecies v.g. balænæ, delphini &c. adeò extra aqvam morari neqveunt, ut niſi aqvæ reddantur, brevi interire eos ſit neceſſe.(u) Qvomodo ergo alii animantium qvàm aqvatilium generi commodè annumerabuntur?

(a) l. VII. de Rer. Var. c. 37. p. 378. (b) Card. l.c. De viſu Delphinorum acutiſſimo, qvæ refert Oppianus citante Aldrov. l. 1. de cetis c. 7. p. 269. fabulæ mihi videntur ſimillima. (c) Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 12. p. 1318. (d) ut nim. ſub aqvis facilius nictent. Delphinis tamen eas tribuit Charleton. de piſc. cetac. p. 48. (e) citatus in מחיר יין f. 21.3. (f) l. IV. Hiſt. An. c. 8. (g) l. IX. Hiſt. nat. c. 8. (h) Plin. l. XI. c. 12. Card. l. VII. de rer. Var. c. 37. (i) l. 1. Hiſt. An. c. 11. (k) l. XI. c. 26. (l) curioſiſſimo naturæ piſcium indagatore, ac cui hoc nomine plurimum debeat Philoſophia naturalis, judice Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 8. p. 1304. conf. Charlet. de piſc. cetac. p. 48. & Neuh. Sin. Reiſeb. p. 354. ubi diſertè binarum aurium meminit, & acriorem auditum tribuit. (m) l. IV. Hiſt. An. c. 8. conf. Aldrov. l. de cetis c. I. p. 260. & Severin. de reſp. piſc. p. 95. a. ſq. (n) qvi ad excitandos ex latibulis piſces cetaceis odoribus ſpecus fauces illinunt, teſte Rondel. l. IV. de piſc. mar. c. 1. (o) Voſſ. de Idol. l. IV. c. 3. p. 1324. (p) ratione data hac, qvia ipſorum caro dulcis & grati ad-

modum ſit ſaporis, qvibus propterea ita inſidiantur, ut hac ratione ſemetipſos non raro piſcatoribus capiendos præbeant: Franz. Hiſt. An. part. III. c. 2. Aldrov. l. de cetis. c. I. p. 260. Charleton. de piſc. p. 47. Sed alios qvoqve piſces devorant, Unde Neuhof. Sin. Reiſeb. T. I. p. 354. captum aliqvem memorat, in cujus ventre 40. aſelli aut Kabbelau fuerint. (q) Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 13. p. 1324. (r) Ludov. Burcaferr. Chriſtoph. Gvarin. Veronenſ. in Comment. 1. ad hiſt. anim. p. 39. Gabr. Zerb. Vid. M. Aur. Severin. de reſpir. piſc. p. 26. b. ſq. (s) Recipiunt aërem & qvidem neceſſariò, adeò ut eo privati moriantur, habent arteriam aſperam, pulmones & præcordia æqvè ac animalia terreſtria, qvin imò nullus penè eſt ex toto cetorum genere, qvi non cum animali aliqvo terreſtri convenientiam eamqve ſatis apertam habeat. (t) Dicit is, piſces omnes natura qvaſi media eſſe inter plantas & qvadrupeda, eorumqve qvosdam ab utroqve extremo æqvè diſtare, qvosdam plantis proximiores eſſe, qvosdam verò magis ad terreſtrium naturam accedere. l. VII. de Rer. Var. c. 37. p. 387. (u) Severin. Phoc. Anatom. p. 24. Ol. Worm. Muſei ſui p. 265.

§. 3. Dico 2. pelagicus. Differunt per hoc ceti non tantum à fluviatilibus & lacuſtribus, (u) ſed etiam à marinis ſaxatilibus & littoralibus, (vv) conſeqventer ſunt propriiſſimè dicti piſces marini. Accedit eo, qvod cum marinorum alii non ſemper in mari vivant, ſed nonnunqvam cum aqva dulci fluminum mare permutent, ut ſalmones &c. cetis eadem ſemper exiſtat ſedes & in fundo maris (x) reperiantur. Hinc R. Sal. Jarchi (y) deſcribit cetum, qvod ſit דג גדול שחבשתו בנבכי הים piſcis magnus, qvem qvaſi ligavit (Deus) in perplexitatibus maris h. e. in imo, vaſtiſſimo pelago.

(u) Qvibus rectius accenſentur paluſtres, qvàm ut nova piſcium ſpecies per eos conſtituatur. Voſſ. de Idol. l. IV. c. 4. p. 1288. (vv) Voſſ. l. c. Card. de Rer. Var. l. VII. c. 37. p. 450. de marinis & fluviatilibus ſimul vide Charleton. de piſc. p. 31. ſqq. (x) Oppian. Halievt. l. V. v. 46. (y) Comment. in Job. VII. 12. conf. in Gen. I. 21. & Ælian. de Animal. l. IX. c. 49.

§. 4. Dico 3. viviparus, ut nimirum non tantùm ab illis piſcibus, qvi æqvivoca ſaltim generatione ex limo putreſcente aut materia ſimili producunt & producuntur, ſed etiam ab oviparis, qvi qvidem alias generatione univoca perfectum animal ſui generis generant, (z) diſtingvatur. Et qvidem illa vivipara ſpeciatim h. l. noto, qvæ immediatè ſeu proximè vivum pariunt ex ſemine, non

ex

ex ovo propè ſeptum tranſverſum concepto & excluſo. Talia enim ſunt ceti, (a) qvod Autor libri illius Rabbinici שערי השמים (b) non obſcurè innuit dicens: ויש מיני דגים שמתעברים כשאר מיני ב"ח בלא ביצים ויצאו הדגים מתוכם; Et ſunt ſpecies piſcium, qvi concipiunt ut cetera animalia ſine ovis & è medio eorum exeunt piſces, cùm ibidem de delphino ſpeciatim hoc affirmet. Eadem eſt mens Talmudica, (c) hinc: הדולפ נין פרין ורבין כבני אדם Delphines fœtificant & multiplicantur more humano. Aliorum teſtimonia omitto.

(z) Creationem verò primitivam mitto neç in controverſiam vocabo hac vice, an immediata an mediata ea fuerit? Vid. hac de re Hotting. Hiſt. Creat. Qv. 76. A. p. 215. (a) Ariſt. hiſt. An. l. VI. c. 12. Plin. l. IX. c. 14. Eleganter hanc in rem Galenus: Ita comparatum eſt à natura piſcium generi, ut qvos præter ceteros majores ac ſangvine prædiţos efformavit, eos ad terreſtrium animalium imitationem vivos fœtus edere voluerit. Non tamen ſoli, uti vult Ælianus de Animal. l. XI. c. 37. An verò is ceterorum vocabulum aliqvantò ceperit laxius, ut etiam amphibia non excluſerit, qvippe inter qvæ pariter vivipara dantur, an vero vivipara acceptione qvadam ſibi propria appellaverit, eqvidem ignoro. Hoc certum eſt, ſi eadem ipſi de viviparis nobiſcum fuit ſententia, alterum ejus aſſertum tolerari non poſſe. (b) f. 33. 6. (c) Talmud. Babyl. Bechor. f. 8. 1.

§. 5. Dicò 4. reſpirans. Reſpirare autem nihil eſt aliud, qvàm aërem frigidum, qvi circumfunditur, attrahere & iterum exſpirare. Qvam reſpirationem licet piſces omnes habeant communem, (d) maximè tamen ſangvineis, v. g. cetis, ad refrigerandum ſangvinem calidiorem & copioſiorem eſt neceſſaria, unde organa etiam reſpirationis plura acceperunt. Habent enim non tantùm pulmones, (e) ſed & branchiarum loco aſperam arteriam, cujus ope ſpiritum attrahunt, remittunt, & qvandoqve etiam retinent. Habent & fiſtulam (f) in fronte vel tergo, qva reſpirant & aqvam ore receptam rejiciunt, eamqve alii unicam, ut delphin, (g) alii duplicem, ut Burhualur, (g) & Balænæ Chinicæ, (g) nacti ſunt, alii ea plane deſtituuntur. (h)

(d) Card. l. VII. de Rer. Var. c. 37. p. 379. ſqq. (e) Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 2. p. 1282. (e) Rondel. de piſc. mar. l. III. c. 11. M. Aur. Severin. de reſp. piſc. p. 109. a. (f) Severin. de reſp. piſc. l. c. Plinius vocat ora l. IX. c. 6. ſed non ſatis commodè, rectius Ariſtoteles φυσητῆρες Vid. de fiſtula balænæ Schott. Cur. Phyſ. p. 1270. 1277

Ol. Magn. Hiſt. Septentr. l. XXI. c. 16. p. 782. (g) Vid. Charleton. de piſc. cet. p. 48. (g) Barthol. Hiſt. cent. IV. 24. p. 276. (g) Neuhof. Sineſiſch Geſandſch. (h) Aldrov. l. de cetis c. I. conf. Scal. Exerc. 373. p. 831. ubi balænam ſine fiſtula in Oceano Cantabrico ſub aqva vivere meminit, citante Varen. Dec. Moſ. Loc. IX. Concl. 15. p. 82.

§. 6. Dico 5. ſangvineus, h. e. ſangvinem multum & calidiorem habens. (i) Tales enim eſſe cetos ad oculum patet, qvia ex ſemine, qvi in animali nihil aliud eſt qvam nobiliſſimus ſangvis, vivum pariunt absqve ovo. Ex eadem poſtmodum ratione evenit, ut in tantam præ aliis non ſangvineis molem excreſcant.

(i) Uti fortè homines illi κατ' ἐξοχὴν ſangvinei audiunt, qvi majorem aliis habent ſangvinis abundantiam.

§. 7. Dico 6. oſſeus. Habent enim ceti non ut reliqvi piſces cartilaginem & ſpinas, ſed ob ingentem ſuam vaſtitatem ſolida oſſa, imò ſolidiora penè, qvam animantia terreſtria, (qvod tamen de omnibus non facile affirmaverim) ſunt ſortiti.

§. 8. A deſcriptione nunc ad diſtinctionem eſſet progrediendum, qvæ etiam non una conſtitui poſſet, dummodo Scriptores hoc argumentum commentati pauliſper evolverentur. Sed naturam cetorum ſcrutari nunc ſufficiat. Qvapropter tum varias diſtinctiones, tum ſpecierum ſingularum curatiorem inſpectionem hac vice prætermitto, præprimis cùm plerarumqve hujus generis rerum veritas vix à Philoſopho, ſed hiſtorico potius exſpectanda ſit. Subjungo duntaxat

CAP. III.

Qvasdam cetorum proprietates, & ſumme de iis notabilia proponens.

§. 1.

ATtamen ne ſicco omninò, qvod ajunt, ſocco ſpecies cetorum tranſeam, Autores qvosdam, qvi inter alios prolixè in hanc ſententiam ſcripſerunt, allegabo. Evolvere itaqꝫ poterit lector curioſus Olaum Magnum, (a) Bochartum, (b) Schottum,

tum, (c) Geſnerum, (d) Aldrovandum, (e) Rondeletium, (f) Voſſium, (g) Cardanum, (h) Scaligerum, (i) Ariſtotelem, (k) Franzium, (l) Ælianum, (m) Plinium, (n) & alios (o) complures. Nec minus legentem delectabunt ea, qvæ Bartholinus (p) de variis cetorum generibus in Islandiæ finibus & portubus vel captorum vel viſorum memorat.

(a) in Deſcript. region. Septentrion. l. XXI. & alibi. (b) Hieroz. T. I. c. VII. de cetis p. 45. ſqq. (c) Cur. Phyſ. l. X. c. 7. p. 1270. ſqq. (d) de aqvatil. ſub tit. cetus, balæna &c. (e) lib. de cetis annexo ejus Tomo de piſcibus. (f) de piſcibus marinis. (g) de Idolol. l. IV. c. XXXII. p. 1408. ſqq. (h) de rer. Var. l. VII. c. 37. ſq. (i) in Card. de rer. Var. & in Ariſt. Hiſt. An. l. II. c. 16. Sect. 118. (k) Hiſt. An. paſſim. (l) Hiſt. Anim. p. III. c. 2. & 3 (m) de Animal. paſſim. (n) Hiſt. Nat. paſſim. (o) Majolum Dieb. Canicul. p. 342. ſqq. Charleton. de piſc. p. 46. ſqq. in Exercitat. de diff. & nom. Animal. Ol. Worm. Muſei ſui p. 279. ſqq. Car. Cluſ. Exotic. l. VI. Bellon. de aqvatil. l. I. c. 2. & 3. Franc. Bousſvet. Carm. in Rondel. Hiſt. de piſc. mar. p. 185. ſqq.

§. 2. Supereſt nunc, ut brevibus mentionem injiciam eorum, qvæ de cetis notatu digniora per qvæ ſimul ab aliis piſcibus differunt proponuntur.

§. 3. Primo loco colloco generationem: Vivum parere omnes jamtum probavimus. (q) Reſtat nunc, ut totam ipſorum generationem tum ratione generationis actum antecedentium, potentiæ nimirum generandi, congreſſus, conceptionis, geſtationis in utero, tùm conſeqventium, augmenti, nutritionis &c. penitius aliqvanto inſpiciamus, cum per hæc ab oviparis piſcibus qvam maximè etiam differant.

(q) Vid. c. II. §. 4.

§. 4. Potentia generandi ut adſit, præreqviruntur certæ partes & membra, per qvæ ea conſtituatur, qvæ pro varietate ſexus (r) variant. Teſtes habent communes, (s) eosqve extrinſecus (t) mares & fœminæ, ſitu licet non eodem, illi in imo ventre prope veſicam, hæ ad uteri cornua. (u) Habent & genitalia יש להם כלי ההולדה (vv) qvod maximè patet in delphinis, (x) eaqve diverſa, vulvas fœminæ, virgas mares, utrorumqve ad ſe invicem longitudine & craſſitie à natura proportionata. Rondeletius (y) memorat ſe vidiſſe penem ceti, qvi ab homine ſtaturæ ſat proceræ

 depor-

deportatus terram contigerit, qvod forte qvatuor ulnarum æqvabit menſuram, nec apparet, qvomodo Voſſius, (z) hoc poſtqvam ex Rondeletio memoraverat, in maribus genitale 14. cubitorum aſſerat, niſi de libidine concitis (a) intellectum velit. Ipſemet etiam non paucos vidiſſe memini, qvorum tamen nullus qvatuor ulnas longitudine exceſſit: qvi tamen omnes an integri fuerint, non controvertam, præſertim cùm Wormius (a) teſtetur, ſibi genitalia eſſe pedum ſex & octo longitudine in acutum deſinentia. Delphinis minor qvàm balænis etiam comparatè loqvendo contigit. Ratio patet: vulva enim fœminæ non eſt in alto ſita, unde facilius copulari poſſunt. (b)

(r) Obiter hic notentur errores qvidam, nominatim eorum, qvi exiſtimarunt, omnes piſces eſſe generis fœminei, Card. l. VII. de Rer. Var. c. 37. p. 443. ſeducti forte per hoc, qvod qvidam eorum vix nati, ova intra ſe contineant. Verum qvicqvid ſit de hoc, & poſito etiam oviparos tales eſſe, neqvaqvam tamen conceſſo, in cetis tamen aliter ad oculum patet. Abſurdiores his ſunt Judæi, caſtratum cetorum marem & fœminam occiſam eſſe poſt primam creationem fingentes. Qvod ſuum commentum probabilius redditur eapropter vocem תנינם mutilatam eſſe Gen. I. 21. aſſerunt. Cui refutando non inhærebimus, cum ipſosmet ſuos contribules ſibi habeant contradicentes. Ita enim Autor libri מעשי השם ex ore Raf in Gen. I. 21. loqvitur. כל מה שברא הקב״ה בעולמו זכר ונקבה בראם אף לויתן Omne qvod creavit Deus S. B. in orbe ſuo, marem & fœminam creavit, etiam cetos. conf. Hott. Hiſt. Creat. Qv 76. C. p. 214. ſq. Abſurdiſſimus omnium fuit is, qvi cetum marem, balænam verò fœminam eſſe putavit, allegatus eapropter & refutatus à Gesn. de aqvatil. l. IV. p. 211. ad marg. (s) Ariſt. c. III. Hiſt. An. ubi qvidem de delphinis tantùm loqvitur, nos verò pariter teſtes cetos qvoqve reliqvos habere cum aliis aſſerimus. (t) Hinc Bechor. fol. 7. 2. dicitur כל שביציו מבחוץ מוליד omne animal, qvod teſtes ſuos habet extrinſecus, eſt viviparum: & vice verſa. (u) Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 2. p. 1282. (vv) שערי השמים f. 33. 6. (x) l. c. חד״ן נכר בדלפין לעין יותר מכולם (y) l. III. de piſc. mar. c. 23. (z) Voſſ. l. c. cui aſſentitur Joh. Neuhof. Siniſch. Reiſebeſchr. T. I. p. 355. (a) qvia eo tempore pudenda humanis perſimilia corroborant, teſte Oppian. Halievt. l. v. 581. (a) Muſei ſui p. 280. & 281. (b) Voſſ. l. c.

§. 5. Congreſſus ejusqve modus, qvi alias in piſcibus obſcurior

ſeurior exiſtit, qvod plerumqve ad coitum latebras qværant, (c) in cetis tamen utpote viviparis clarius obſervatur, qvia diutius copulantur, non reliqvorum more congreſſi vix iterum digrediuntur. (d) Paucis: hominum more concubitum inſtituunt. (e) Tempus congreſſus, licet variet, (f) præcipue tamen piſcibus ut avibus vernum eſt, (g) licet cetos utpote viviparos temporis differentiam non adeò accuratè ſervare, ſed potius more humano qvovis anni tempore coire & concipere teſtentur Phyſici, (h) qvi etiam coitum ab iis iterari, (i) eosqve laſcivire admodum, mari inprimis tranqvillo, (k) affirmant.

(c) Rondel. de piſc. mar. l. IV. c. 6 Ælian. de An. l. IV. c. 9. (d) Ariſt. Hiſt. An. l. IV. c. 8. Neuhof. l. antè c. ubi ſimul congreſſus modum prolixius declarat. (e) qvod de delphinis Oppianus tanqvam oculatus teſtis confirmat Halievt. l. 580. conf. Gesn. de aqvatil. in Delphinis. (f) Oppian. Halievt. l. 585. ſqq. (g) Ariſt. Hiſt. An. l. V. c. 8. Ælian. l. IV. c. 9. (h) Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 2. p. 1283. (i) nec tantùm ſemel, ut qvidam ſtatuit, toto vitæ ſpatio inſtitui. Gesn. de aqvatil. p. 203. (k) tùm enim qvia calidius eſt, incaleſcunt & incolæ ejus, qvi calor genitalia etiam afficiens laſciviam non parum auget. Voſſ. de Idolol. l. III. c. 15. p. 798.

§. 6. Poſteaqvam verò coierunt & conceperunt, fœtum qvoqve, anteqvam pariant, hominum more certo temporis ſpatio, novem plerumqve aut decem menſibus, (l) viviparorum more, in utero, qvi non ad ſeptum transverſum, ut in concipientibus intus & vivum ex ovo parientibus (m) eſt collocatus, geſtant: qvam geſtationem dein partus ſeqvitur, de qvo ſupra. (n) Hoc ſaltim nunc addo, viviparos plerumqve unicum producere aut geminos, (o) qvos ex mente Voſſii (p) non excedunt, qvia, ſi binis plures uno partu ederentur, foret ſuperfœtatio, cùm duos uterus duntaxat habeat ſinus.

(l) Plin. l. IX. c. 8. Solin. c. 22. (m) Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 2. p. 1284. (n) c. II. §. 4. (o) Ariſt. l. VI. Hiſt. An. c. 12. Plin. l. IX. c. 8. Ælian. l. I. c 18. de delphino. Neuhof. l. c. p. 355. tantum unicum balænis fœtum tribuens: ſummum tres. Severin. de reſp. piſc. p. 82. (p) l. IV. de Idolol. c. 2.

§. 7. Partum excipit nutritio: qvæ ut ſit commodior, mammis natura fœminas non ſecus ac mulieres inſtruxit & lacte, qvibus fœtus alunt. Confirmant hoc ex Judæis Bechorot, (q) Porta cœli; (r) idem aſſerunt Ariſtoteles, (s) Schottus, (t) Solinus (u) Plinius, (vv) Op-

(vv) Oppianus, (x) Ælianus (y) & alii. (z) Pontanus (z) qvidem videtur omnibus illis contradicere, dum omnes piſces mammis carere ſcribit. Sed non apparentes pro nullis habuiſſe eum credo. (a) Sic habebit ſuffragantem מדרש תנחומא in qvo talis commentatio in locum Jeremiæ (b) reperitur התנין הזה כשבא לינק אמו היא רואה אותו מרחוק וחולצת שדיה בשביל שינק ולא יראה שדיה מכוסים ואינו יונק Ceto hoc veniente ad ſugendam matrem ſuam, hæc conſpiciens eum ex longinqvo extrahit ubera ſua, ut lactare poſſit, ne videns ubera ſua operta ſugere renuat. In qvem etiam ſenſum, ſed clarius aliqvanto R. Sal. Jarchi (c) ſcribit de ceto: אף על פי שאכזרי הוא חלצו שד כשרואה את בנו בא מרחוק רעב וחולץ שדיו מתוך נרתיקו שיש לו כסוי על דדיו ומוציאו מתוכו כדי שלא יראהו בנו מכוסה ויחזור לאחוריו והיניקו גוריהן qvamvis crudelis ſit, חלצו שד h. e. Ubi filium ſuum eſurientem è longinqvo venire videt, tunc mammas ſuas extrahit ex theca ſua, qvæ tegumentum eſt ſuper mammis, educitqve eas ex illa, ne videns eam filius ejus tectam retrogrediatur. Et ſic ſugunt catulos ſuos. Copioſum verò valdè eis natura lac conceſſit, unde Rondeletius (d) refert, ſe vidiſſe in littore Aqvitanico ex balænis colligi duos lactis cados. Situs mammarum eſt prope genitalia & umbilicum (d) non ſecus ac qvadrupedibus. Papillas autem non habent, minimum non ἐπιφανεῖς: (e) in mammis enim receptæ tanqvam in vaginis conduntur, & ad uſum poſtea promuntur, qvippe ad ſuctum catulorum emiſſitiæ. (f) Nutritio hæc ſingulare paterni erga fœtum amoris ſignum eſt, qvi ut in viviparis omnibus (g) longè eſt major qvàm in piſcibus reliqvis, ita delphin præcipuè hoc nomine venit commendandus, & commendatur etiam ab Autore Portæ cœli, (h) Ariſtotele, (i) Oppiano, (k) Æliano (l) & aliis.

(q) f. 72. (r) f. 33. 6. dicens יש להם שדים (s) Hiſt. An. l. III. c. 20. l. VI. c. 12. (t) Cur. Phyſ. p. 1275. (u) de delphinis. (vv) l. IX. c. 8. & c. 13. (x) Halievt. l, 660. ſqq. (y) l. V. c. 4. l. IX. c. 8. (z) Aldrov. l. I. c. I. de cetis p. 259. Act. Philoſoph. Angl. 40. p. 664. (z) Progymn. VI. l. III. (a) citatus à R. D. Kimch. lib. Rad. in rad. תנן (b) Thren. IV. 3. (c) Comment. in l. c. (d) de piſc. mar. l. VI. 22. cui penè ſimili refert Ol. Worm. Muſei ſui p. 281. ſq. & Act. Philoſoph. Angl. 40. II. p. 664. (e) Ariſt. Hiſt. An. l. II.

l. II. c. 13. (f) Scalig. Exerc. CIV. conf. Gesn. de aqvatil. l. IV. p. 636. (g) Ambroſ. Hexaëm. l. V. c. 3. Oppian. Halievt. 1, 733. (h) f. 34. ita loqvente והולכים זמן רב אחריוה כי אוהבת אותם יותר מכל הדגים (i) l. VI. Hiſt. An. c. 12. ubi ζῷον φιλότεκνον appellat. conf. Scal. c. X. Sect. 124. (k) Halievt. l. 732. ſqq. (l) l. I. c. 18.

§. 8. Augmentum verò, qvod nutritionem ſeqvitur, ex variis acqviritur cibis. Ubi enim accreverunt, loco lactis alga, ſpuma maris, muſco rupibus in fundo accreſcente (l) vel herbis aliis (m) vel piſcibus, & præſertim halecibus, (m) vel deniqve dulci aqvæ (n) nutriuntur, qvibus poſtmodum cibis adjuti creſcunt, pingveſcuntqve, aliis intra decennium, (o) aliis intra biennium, aliis aliter augmenti ſui perfectionem acqvirentibus. Et prout creſcendi tempus non omnibus eſt idem, ita nec vitæ ſpacium ſingulis æqve eſt diuturnum, aliis nimirum citius, aliis tardius morientibus, prout oſſa calore naturali indurantur. (p) Delphinos 25. vel 30. annum attingere (q) obſervatum eſt.

(l) Act. philoſoph. Angl. 40. II. p. 664. Neuhof. Sin Reiſeb. p. 354. (m) Ephemerid. Erudit. ad An. 1666. p. 66. (m) conf. c. II. §. 2. (n) Card. de Rer. Var. l. VII. c. 37. p. 469. conf. Ælian. l. IX. c. 64. (o) ut delphini Ariſt. Hiſt. An. l. VI. c. 12. Scal. l. VI. c. 10. Sect. 120. Plin. l. IX. c. 8. (p) Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 9. p. 1309. (q) Ariſt. Hiſt. An. l. VI. c. 12. Severin. de reſp. piſc. p. 82.

§. 9. Seqvuntur proprietates aliæ, & qvia mentionem feci amoris, ſuccurrit, eos hunc affectum non erga ſolam probare ſobolem. Amant etiam conjuges, & conjugatim cum illis degunt, (r) imò ſemper eas habent comites. (s) Amant parentes, ſenes præſertim, eorumqve difficilem natationem niſu corporis promovent: (t) qvi ipſorum amor gratitudinem qvaſi mentiri videtur ex lacte paterno, qvo olim ſunt nutriti, vel alia ex cauſſa (u) profluens. Amant alios piſces, balænæ muſculum, ducem, ut qvidam credunt, (vv) ſuum. Non tamen promiſcuè. Odit enim balæna orcam, (x) delphinus amias. (x) Amant etiam homines. (y)

(r) Ariſt. Hiſt. An. l. VI. c. 48. conf. Plin. l. IX. c. 8. (s) Solinus c. 18. de delphinis. (t) Jo. Tzetzes. Rondel. de piſc. mar. l. III. c. 8. oculatum ſe ait eſſe teſtem. Excipe autem hippopotamum, qvi proprium parentem devorat. Ælian. l. VII. c. 19. l. IX. c. 44. Plut. Utra An. Horapoll. l. I. c. 56. Voſſ. l. III. c. 62. p. 1063. l. IV. c. 16. p. 1338. (u) Voſſ. l. prox. c. (vv) Opp. Halievt. V. Plin. l. IX. c. ult. Ælian. l. II. c. 13. Plut. Utra anim. (x) Plin. l. IX. c. 6. Ol. M. Hiſt. Septentr. l. XXI. c. 9. (x)

Card.

Card. de Rer. Var. l. VII. c. 37. p. 466. (y) Vid. Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 17. p. 1343. ſq. ubi multos autores allegatos invenies.

§. 10. Vocem (y) etiam ceti habent, & qvidem veram, (z) licet non articulatam. (a) Ipſa Scriptura S. videtur huic aſſerto ſuffragari. (b) De qvo tamen qvicqvid ſit, vox cetorum nihilominus negari non poterit, qvam etiam non in omnibus eandem eſſe obſervarunt Phyſici. Qvidam mugiunt, ut balænæ, (c) Burhualur (d) &c. qvidam gemunt, ut delphini, (e) alii ſonum edunt alium.

(y) Minus rectè piſcibus omnibus vox denegatur. Ælian. l. X. c. 11. abſurdiſſimè autem viviparis. (z) Bochart. Hieroz. T. I. c. de cetis p. 47. (a) uti fortè eſt in infantibus. Vid. Ariſt. l. XVI. Hiſt. An. c. 2. & Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 21. p. 1363. (b) Mich. I. 8. ubi dicitur אעשה מספד כתנים diſceptantibus Philologis, an dracones, an ceti ibi intelligantur. Bochartus videtur huic opinioni ſubſcribere, diſertè T. I. p. 47. dicens: ſibilum draconum nihil cum luctu habere commune. at ipſemet ſibi contradicit T. II. p. 437. ubi ex Æl. l. XV. c. 21. XVI. 39. dracones ſibilum excitare luctuoſum affirmat. Qvod miror. (c) qvas tantum mugitum edere ſcribit Rondeletius, ut qvi vel binis leucis abſint, audire qveant, (d) de qvo Th. Barthol. Hiſt. Anatom. & Med. rarior. Cent. IV. 24. p. 275. qvod non aliter ac bos horrendum edat boatum. (e) Plin. IX. 8. Solin. c. 12. Gill. ap. Aldrov. l. I. de cet. c. 7. Vincent. Doctr. l. XVI. c. 38.

§. 11. Greſſus ob ingentem corporis & præſertim capitis gravitatem (f) cetis eſt tardior. Delphinus (g) tamen celerius incedit, ita qvidem ut celeritate ſua ſibi non rarò ſit exitioſus. Idem de balænis in Oceano Americano circa Bermudas teſtantur Ephemerides eruditorum, (h) & Acta Philoſophica Anglicana. (i)

(f) Kircherus Mund. ſubterr. p. II. p. 60. b. rationem, cur Deus motum cetis addiderit tardiſſimum, tradit hanc, ne velocitate natatus, dum tyrannicâ qvadam vi ſusqve deqve immanes beluæ vertant cuncta, omnem Oceanicæ Oeconomiæ commeatum voracitate ſua brevi exhaurirent. (g) Plin. l. IX. c. 8. Ælian. l. XII. c. 12. Ariſt. l. IX. Hiſt. c. 48. Charleton. de piſc. p. 47. Severin. Phoc. Anat. p. 25. (h) ad Ann. 1666. p. 65. (i) n. 30. p. 460. & 40. p. 665.

§. 12. Somnus cetis competit, ut aqvatilibus omnibus. (k) Hoc tamen peculiare habent fiſtula inſtructi, qvod, cum reſpiratione carere neqveant, (l) exſerto extra aqvas roſtro in ſummo dormiant æqvore. (m) Stertere etiam delphinos fuit obſervatum. (n)

(k) Ariſt. Hiſt. An. l. IV. c. 10. lib. de Somn. & Vig. c. 2. Plin. l. X. c. 75. Voſſ. l. III. c. 34. p. 886. (l) Card. de rer. Var. l. VII. c. 37. p. 409. (m) Ariſt. Hiſt. An.

An. l.IIX. c. 2. Ælian. l. IX. c. 22. Voſſ. de Idolol. l. IV. c. 20. p. 1357. Plut. Utra an. (n) Plut. Utra anim. Cauſam ronchorum vide ap. Voſſ. de Idolol. l. III. c. 34.

§. 13. Nec parum differunt ceti à piſcibus reliqvis magnitudine, qvæ verò cum pro ſpecierum diverſitate & ipſa ſit diverſa, adhæc hiſtoricum potius agere viderer velle, ſi multis hæc declararem, prorſus omitto, peculiari diſputatione hoc argumentum perpoliturus.

§. 14. Nec pingvedo cetorum eſt vulgaris, qvippe qvæ ſæpe tanta eſt, ut oculorum uſus penè omnis adimatur. (o) Teſtatur hoc de balænis oleum, qvod magna copia excoqvitur: (p) de delphinis & phocœnis confirmat nomen, qvo vulgò Meerſchweine audiunt.

(o) Schott. Cur. Phyſ. l. X. c. 6. p. 1258. Card. de rer. Var. l. VII. c. 38. p. 471. conf. c. II. §. 2. (p) Act. Angl. Philoſoph. 40. p. 664. Ephem. Erud. ad Ann. 1666. p. 66. Ol. Worm. Muſei ſui p. 281.

§. 15. Locum qvod concernit, generaliter loqvendo, in frigidisſimis ceti degunt locis, in Oceano glaciali, teſte Kirchero. (q) Lenocinatur huic aſſerto experientia, qvia in Norvvegia præſertim, Gronlandia, Islandia, Oceano Americano circa Bermudas, (r) in mari Erythræo (s) & aliis, maximè ſeptentrionalibus regionibus conſpici eſt obſervatum. Ubi & hoc notari velim, in qvibusdam locis non qvovis anni tempore eſſe conſpicuos: (t) unde & Phyſicis qvæſtio oritur: ubi reliqvo temporis ſpatio commorentur? In antra herbida ſe tum conferre, videtur probari posſe ex eo, qvia ſupra pinnas & caudas multum hærere materiæ viſcoſæ & glutinoſæ, in qva corallia creſcunt, experientia αὐτόπτων edocuit. (u)

(q) Mund. Subterr. P. II. p. 67. a. (r) Act. Philoſoph. Angl. 30. & 40. Ephem. Erud. p. 64. ad Ann. 1666. (s) Dion. Deſcr. Orb. v. 597. Kirch. Mund. Subt. P. II. l. 12. Sect. l. c. 8. p. 364. b. Conf. aliàs de loco Schott. Cur. Phyſ. l. X. p. 1278. (t) ut in Oceano Americano tantùm certis menſibus apparere teſtantur Acta Angl. & Ephem. Erud. ll. cc. (u) Ephemerid. Erud. p. 66. Conf. Kirch. Mund. Subt. p. II. l. 9. Sect. 3. p. 175. & l. 12. Sect. 1. c. 8. p. 364. b.

§. 16. Superſunt proprietates aliæ, reſtant partes corporis non paucæ, qvas à piſcibus ceteris ceti habent diſtinctas, de qvibus omnibus commodè hic agi poſſet: nec de uſu cetorum & ab-

 uſu

uſu vario ſi qvædam ſubjungerentur, laborem fore ſterilem exiſtimo. Sed multitudine obrutus hic pedem figo. Curioſus interea lector mihi vitio non vertet, ſi hæc & talia noſcendi ſtudio laborantem ad Nobiliſſ. noſtri ab Adlershelm aliaqve hujusmodi inſtructiſſima Spaniophylacia hac vice remiſero, cum præſertim oculatorum teſtium fides ubivis ſit major. Nec jucunditate ſua deſtituuntur, qvæ hiſtorici de cetis conſignarunt, qvæqve de modo venandi illas bêluas marinas partim ex antiqvorum ſcriptis, partim ex relationibus expertorum mihi innotuerunt. Attamen qvia ſingula hæc mole ac vaſtitate laborant ſua, hac verò una Diſſertatione omnia pro argumenti dignitate perpolire, niſi limites transgredi velim, eſt impoſſibile, commodiori occaſione à me, ſi qvaliscunqve labor meus non fuerit improbatus, exſpectabuntur. Præſenti verò loco dicendorum de cetis ſit

FINIS.

COROLLARIA.

Non abſurdè conjicit Rondeletius, qvæſtioni illi: An prohibitus eſus carnium tempore qvadrageſimali cetorum qvoqve eſum prohibeat? initium dediſſe controverſiam illam Phyſicorum: An piſcibus accenſendi ſint ceti?

Feminæ maribus non ſunt natura deteriores.

Piſces ſola aqva nutriri diu poſſunt.

Balænam mari egreſſam ad ſolem ſe calefacere ſcribit Ælianus l. IX. c. 50. Sed vix credo. Ipſe etiam ſe refutat l. V. c. 4.

Non ſatis accuratè pingitur delphinus cum dorſo repando.

Oppoſitorum oppoſitæ ſunt proprietates.

Finitum & infinitum perperam à Metaphyſicorum multis omittitur.

Conjugium parentum conſenſu deſtitutum eſt irritum.

Jus piſcandi eſt juris gentium, cum mare omnium ſit commune. Grot. de J. B. & P. l. II. c. 3. §. 9. & §. 10. 1.